

- rellis, imitari, qui, cum et plurimis ^(a) et maximis bonis offerre se possit, nulla tamen re magis quam patientia ac labore gloriari solet. ego vero, etsi michi glorie ducam, si quid egero quod laude dignum sit ^(b), nullam tamen nunc tecum gloriam aucupor, sed rem ita ut
- 5 est explico. bina enim quotidie auditione oppressus, ita ut ne festis quidem diebus vacare liceat, si quid in negotio quod mandas aggredierer, neque tibi neque studiis meis satisfacere possem. quod si vites aut in urbe aut in loco urbi proximo statute essent, non diffiderem posse me sine dispendio eas ad te mittere; nunc vero,
- 10 cum montes unde habende sunt ad duodecim miliaria aut eo plus distent; nec dignum est ut qui dare spoponderint, laborem etiam subeant transmittendi, nec ego ire illuc possim nec quem preficiam habeo ^(c); necesse est ut aliquem huc mittas, quem ope consilioque a me instructum ad eos qui sese obtulerunt cum mandatis adigam.
- 15 sicque tu vitium quas petis, ego voti obsequendi tibi compotes efficiemur ^(d). rescripsissem celerius, sed tentare prius omnia volui, ne quid inconsultius responderem. tu propere nuntium dimittas, si in ea sententia es, nam et putationum et similium operum tempestas iam imminet.
- 20 De magistro Gulielmo nostro ⁽¹⁾ iudicium approbas meum ^(e), et orationem qua laudes suas complexus sum laudas. utrumque et vere et digne facis. sed ego quidem nec concipere tantum valeo quantum est, nec quantum concipio efferre digne possum. in quo tibi, preter cetera, maximas gratias habeo, quod opera tua effectum
- 25 est ut ille amicum me et velit et ita appellet. cui me litteris tuis crebro ^(f) commendatum fac obsecro. quam primum pestis huc sese intulerit, certum est michi ad te iter. dominus Franciscus plurimum salutare te ^(g) iubet. si quid in principio gravius dixi, ne mirere; visus enim sum michi ipsi hodie prudentior solito, tibi
- 30 vibebor fortasse loquacior. vale. Padue, .iiii. nonas martii 1396.

ma gli studi non gli concedono nemmeno un giorno di vacanza.

I colli poi distano da Padova, nè si può pretendere che, oltre a dar le viti, quegli amici le trasportino in città.

Mandi dunque un uomo, ed egli gli darà le istruzioni utili;

ma faccia presto, perchè s'avvicina il tempo della potatura.

Si rallegra ch'ei approva il suo elogio di Guglielmo da Ravenna, e chiede di essergli raccomandato.

Alla prima comparsa della peste, verrà da lui. Lo Zabarella lo saluta.

(a) *P* cum plurimis (b) *P* dignissimum (c) *P* nec quem precliam habeo (d) *B* efficeremur (e) *P* nostro consilium approbas (f) *P* om. crebro (g) *P* plurimum scribere te

(1) Cf. le epist. LVIII, p. 129, e LXVIII, p. 163.